suos administrare. Sicut si navis, vel justo minor, vel justo major esset, inepta navigationi redderetur: unde navis diversum stadiorum magnitudinis non posset commode gubernari, — Rursus: Rex est anima Regni: sicut ergo anima humana non potest quantæcumque molis corporis vivificare, puta, si creseeret ad magnitudinem corporis Elephantis: sic neque Princeps calore suo potest totam Rempublicam Orbe toto, Nationibus, & regionibus vastissime dispersam fovere; quæ in quacumque Provincia sunt, nosse, corrigere, & disponere. Unus enim non potest undecumque Orbis nuntios brevi tempore suscipere, neque Prætores, aut Ministros mittere; nec quæ ubicumque sunt castigare, aut metus potestatis ad tam vasta locorum spatia pertingere. Cum ergo potestas sit propter usum; si usus amplissimæ per totum Orbem potestatis impossibilis est, vana foret talis institutio. Cur autem una potestas spiritualis toti Orbi sufficere possit, statim dicetur.

VI. Esto vero Imperator Regibus non dominetur; attamen, quantum ad aliquid, cæteris Principibus eminet, in quantum est fidei, & Religionis protector ab Ecclesia designatus. Et propterea a Summo Pontifice coronatur, & in ordine ad exaltationem, & defensionem fidei, & Ecclesiæ ad eum præcipue pertinet convocare Principes Christianos, contra Ecclesiæ inimicos.

§. II.

Argumenta contraria.

VII. Primo arguitur. In spiritualibus est unus Summus Pontifex, qui toti præest Ecclesiæ; ergo in temporalibus debet esse unus Imperator, qui præsit toti Orbi. Si enim decuit corpori universæ Ecclesiæ unum esse Caput, cur non decebit universo Orbi unum esse Caput? Hoc autem aliud esse non potest, quam Imperator.

VIII. Respondeo, neg. cons. Dispar enim est ratio. Primo. Quia forma gubernationis Ecclesiæ est immediate instituta a Christo; qui utpote totius Orbis Redemptor, & unicum ipsius Caput, sua, & Spiritus Sancti speciali assistentia eam gubernat. Christus autem discessurus ex hoc mundo ad Patrem: totius Ecclesiæ nomine suo gubernium uni tantum Petro tradidit. *Jo.* 21. *v.* 17. dicens: *Pasce oves meas*. Quæ gubernii forma ad Romanos Pontifices ejusdem Petri successores traducta, usque nunc in Ecclesia perseverat. At ei illis potestas est quidem in Rege, seu Principe a Deo: *Non enim est Potestas nisi a Deo* (Rom. 13. v. 1.) sed mediante Republica, in qua originaliter, seu primo residet, & a qua transfertur in Regem, seu Principem. Ut ergo unus esset totius Orbis dominus, oportuisset, ut totus Orbis, saltem per Legatos, convenisset ad transferendum in illum omnium totius Mundi Regnorum potestatem: hoc tamen nunquam factum fuit. Imo pro diversitate Gentium, una eam transtulit in unum, alii in alium, ut historiæ tradunt.

Secundo. Dispar ratio est: quia summa spiritualis potestas ordinatur ad fidei, & Christianæ Religionis conservationem. Cum ergo tantum sit una fides, & una Religio in toto Orbe; debuit esse unus, penes quem esset summa auctoritas decernendi ea, quæ sunt fidei. Unitas enim fidei non posset servari, nisi quæstio exorta de fide determinanda esset per unum. Quod fuse ostendit S. Cyprianus, *lib. de Unitate Ecclesiæ*, dicens: *Exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Et S. Hieronymus, *lib.* 1. *adversus Jovin.* dicit, Christum constituisse Petrum supremum: *Ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio*. At in secularibus, seu civilibus, cum sint Respublicæ diversæ, quarum singulæ diversos habent mores, ac leges diversas; decuit etiam, diversos esse Reges, ac Principes, qui diversis illis Gentibus ac legibus intendant: impossibile enim esset, quod unus secundum cujuscumque Regni diversos mores, ac leges provideret. Si enim experientia probat, quam difficulter bene gubernantur Regna, a quibus Reges multum distant: quid igitur si esset unus omnium Regnorum totius Mundi Monarcha?

IX. Sed replicabis, primo. Sicut Christus uni Petro dedit potestatem summam in Ecclesia: ita Adamo dedit Deus potestatem dominativam universæ terræ, *Genes.* 1. & Noe *Genes.* 8. ergo sicut propter hoc Ecclesia regitur per unum, ita etiam totus Orbis regi debet per unum.

Secundo. Optimus modus gubernandi est Monarchicus; ergo sicut hac ratione tale regimen in Ecclesia constituitur, cur non etiam in toto Orbe?

X. Respondeo ad primam replicam Deum illis verbis: *Dominamini, replete terram, & subjicite eam*, non constituisse in Adamo, & Noe unum dominum, qui toti Orbi præesset; sed solum universæ terræ dominium dedisse hominibus quocumque modo exercendum. Cujus signum est, quod licet Adam, & Noe, quando ipsi soli in Orbe erant, dominarentur Orbi; Orbe tamen inter filios eorum diviso, statim diversi Principatus, & Principes surgere cæperunt. At Christus cum dixit Petro soli, & non aliis Apostolis: *Pasce oves meas: Tibi dabo Claves*, satis ostendit formam gubernii quam in sua Ecclesia volebat, & quam Ecclesia postea secuta est, esse, ut summa potestas esset in uno.

Ad secundam replicam, nego. Monarchiam universalem esse optimum regimen, ob rationes dictas. Quod si S. Thomas, *Opusc.* 20. *lib.* 1. *cap.* 2. dicit, optimum modum gubernandi multitudinem esse per unum; intelligendus est de ea multitudine, quæ potest per unum commode gubernari. Unde mens S. Thomæ est, quod quælibet multitudo melius gubernetur per unum, quam per plures, non tamen quod melius *sit*, ut unus in Mundo gubernet omnem multitudinem.

XI. Secundo arguitur. Octavianus Augustus Cæsar, qui Romano præerat Imperio, quando natus est Christus habuit dominium temporale supra totum Orbem; ergo Imperator aliquando fuit dominus Orbis. Antec. probatur primo, ex illo Lucæ 2. *v.* 1. *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.*

Secundo. Ex D. Th. qui, *Opusc.* 20. *de Reg. Princ. c.* 13. ait, Christum fuisse verum Dominum, & Monarcham totius Orbis, cujus vices gerebat Augustus, licet non intelligeret.

Tertio. Tiberius Cæsar, qui Octaviano successit, ac eo tempore, quo Christus passus est, Romano præerat Imperio, toti Orbi, ac ipsis etiam Judæis dominabatur; unde eis dixit Christus, Lucæ 20. *v.* 25. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

XII. Respondeo, neg. ant. Ad ejus primam probationem dico, nomine universi Orbis non intelligi totum Mundum; quoniam multæ erant Nationes, quæ non erant subjectæ Romano Imperio, sed fumi, vel pro universo Orbe Romano, ideest, pro universis Regnis Romano Imperio subjectis: vel fumi universum Orbem pro magna parte Orbis, ad quam Romanum pervenerat Imperium. Sicut *Genes.* 41. *vers.* 54. dicitur: *In universo Orbe fames prævaluit*, ideest in universo Ægypto, & Regionibus Ægypto vicinis: & in eodem sensu dicitur, vers. 56. *Crescebat autem quotidie fames in omni terra*. — Quod si nomine universi totus omnino Orbis intelligatur, dicam cum S. Ambrosio, in *cap.* 2. Lucæ: *Ut sciat, censum non Augusti esse, sed Christi, totus Orbis jubetur profiteri . . . . Quis ergo poterat professionem totius Orbis exigere, nisi qui totius habebat Orbis Imperium? Non enim Augusti, sed Domini est terra . . . Gothis non imperabat Augustus, non imperabat Armenis, imperabat Christus*. Hæc Ambrosius.

XIII. Ad secundam prob. juxta opinionem, quam supra tenuimus, quod nimirum Christus jus habuerit Monarchicum super omnia temporalia, dico, quod Augustus Christi gerebat vices, non in toto, sed in ea parte, & quidem maxima, Orbis, cui imperabat. Sicut Prorex alicujus Regni gerit vices Regis, non super omnia Regna Regis imperio subjecta; sed super illud Regnum, cui a Rege præficitur. Verumtamen Augustus erat Vicarius Christi, non ab eo constitutus, sed permissus: ut nesciens quid faceret, Christi Monarchiæ prodesset.

XIV. Ad tertiam nego, Tiberium habuisse dominium supra totum Orbem: multæ enim erant in Orbe Provinciæ, quæ Tiberii dominium nesciebant. — Nego, etiam, Tiberium de jure habuisse dominium supra Judæos: Gens enim Judæa libera erat a dominio cujuscumque alienigenæ: imo in Lege prohibitum erat; Deuter. 17. vers. 15. *Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus*. Erat ergo Tiberius, Rex Judæorum solum de facto. Neque Christus dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, approbavit dominium Cæsaris: sed, ut calumnias Judæorum vitaret, dixit: *Reddite*. Ideest, si quid debetis Cæsari, reddite; sed primo, quod est Deo debitum, Deo reddite.

XV. Tertio arguitur, ex D. Hieron. *Epist. ad Rusticum Monachum*, relato 7. quæst. 1. cap. *In apibus*, ubi dicit: *In apibus dux unus est, grues unum sequuntur ordine litterarum unus & Imperator*.

Item 12. quæst. 1. *Cap. Futuram*, dicitur, quod Imperatores Romani tenebant *totius Orbis Monarchiam*.

Rursus: *Lege Deprecatio, ff. Ad legem Rhodiam*, habebatur, quod Antoninus Imperator dixit: *Ego quidem Mundi Dominus*. His & aliis moti quidam Jctiistæ Imperatori totius Orbis dominium adscribunt.

XVI. Respondetur tamen ad primum, mentem Sancti Hieronymi non esse, quod sit unus Imperator totius universi dominus; sed quod unius Reipublicæ debet esse unus Rex, & totius Christiani orbis unus Imperator: sicut unius alvearis est una apis ductrix aliarum, & unius conventus grium una, quæ præcedat cæteras. Sicut autem non est una apis ductrix omnium apum, neque una grus, quæ præcedat omnes grues in universum: ita neque unus Imperator omnium hominum.

Ad secundum dico, in *Cap. Futuram* dici: *Romani Principes, qui pene totius Orbis Monarchiam tenebant*. Ubi ly *pene* indicat, eos solum magnæ parti Orbis dominatos fuisse, quod non negamus.

Ad tertium dico, Antoninum nimis arroganter fuisse locutum: & ideo ex ejus dicto nullum fieri posse argumentum. — Vel locutum fuisse ampliative, fumendo Orbem pro majori ejus parte, cujus certe Antoninus erat dominus. Quod colligo ex eodem textu legis: ibi enim a dominio Antonini excipiuntur maria. Si autem Imperator esset Mundi totius dominus; cum sub Mundo maria concludantur, non fuissent maria excipienda.

QUÆSTIO VIII.

De objecto Dominii.

QUæstio præsens examinabit, quænam res cadere possint sub hominis dominio: & hoc per sequentia dubia præfinimus.

DUBIUM I.

An Angeli, Cœli, & homines cadant sub hominis Dominio.

§. V.

De Angelis, & Cœlis.

I. Dico. Neque genus humanum, neque ex humano genere quisquam est dominus, vel Angelorum vel corporum Cælestium. Constat ex *Cap.* 1. *Genes.* ubi homini condito datur a Deo dominium super ea quæ creaverat. Ibi enim fit quidem mentio animantium cujuscumque generis, ac terræ frugum, ac fructuum, quia hæc in hominum utilitatem, & usum facta sunt: nulla tamen mentio fit, sive Angelorum, sive Cælestium corporum. Et merito quidem. Nam cum inferiora non deceat dominari superioribus: Angeli autem sint superioris ordinis ad homines; & corpora Cælestia, esto, quia ratione carentia, inferiora sint, quia tamen incorruptibilia, omnibus corruptibilibus, inter quæ homo, eminent; idcirco æquum non fuit, ut in illa daretur homini dominium.

II. Neque obstat, quod Angeli hominum custodiæ inserviant, eorum saluti procurandæ sint intenti: unde *Hebr.* 1. *v.* 14. dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Nam in hoc Angeli non subjiciuntur homini, sed Deo, cui in hoc serviunt, cujus ministri sunt, & cujus faciunt voluntatem, juxta illud Ps. 90. *v.* 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c.*

III. Neque pariter obstat, quod corpora Cælestia sint condita ad utilitatem hominum, & ministerium cunctis Gentibus, ut habetur, *Deuter.* 4. *v.* 19. eis enim non potest homo uti suo arbitratu, nec de illis disponere, & ad sua commoda aptare: ideoque absolute, & simpliciter non habet in ea dominium.

IV. Si tamen loquamur de commoditatibus, quæ a Cælestibus corporibus proveniunt, ut lumine, calore, aliisque rebus sublunaribus; horum est homo jure naturæ dominus: quia per rationem, & voluntatem potest illis uti, tamquam propter se factis. Hinc in jure datur actio contra illos, qui per ædificia, vel aliter lumine Solis privare tentant domum vicini. Dominium autem super cætera sublunaria datum fuit homini statim condito, ut ex *Genes. cap.* 1. dictum est; & *Ecclesiastici* 27. *v.* 3. reperitur, his verbis: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram*. Quamvis autem hæc de dominio, quod habuit homo in statu innocentiæ, ab aliquibus intelligantur; possunt tamen etiam accipi de illo post lapsum. Eo vel maxime, quod, *Genes.* 9. *vers.* 2. legitur, confirmatum Noe, his verbis: *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres Cœli, cum universis, quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt &c.* Verum quidem est, istud dominium fuisse per peccatum, quoad usum, & exercitium valde diminutum, cum bestiæ quædam sint homini rebelles: quoad jus tamen, & potestatem mansit integrum, cum sequatur naturam, ex quo ratione prædita est. Imo etiam quoad exercitium hactenus quodammodo manet: quia pene omnes bestiæ adhuc cogi possunt, & vi, vel industria homini subjici.

Hoc tamen non ita est accipiendum, quasi singuli hominum habeant a natura completum dominium rerum omnium, quæ in hoc Mundo inferiore continentur: sed quia, si solum jus naturæ spectemus, potestatem habent eas occupandi; suisque usibus aptandi. Vide quæ diximus, *Tom.* 1. *in* 1. *part. quæst.* 4. *dub.* 5. §. 1. *num.* 5.

§. II.

De homine respectu alterius hominis.

V. Dico primo. Si loquamur de servitute legali, & proprie tali, nullus homo jure naturæ est sub dominio alterius; bene tamen si loquamur de servitute impropria, seu subjectione: sic enim, etiam in statu innocentiæ, unus homo fuisset alteri subjectus ut domino. Quod ostendimus, supracitato *Tom.* 1. *in* 1. *part. quæst.* 4. *dub.* 6. §. 2.

Hoc assertum tradit S. Thom. 1. *part. quæst.* 96. *art.* 4. distinguens dominium prioris generis a posteriori: quod per prius, homo utitur alio tamquam re sua, ad suam propriam utilitatem, ut dominus mancipio: per secundum aliquis utitur alio, non ad proprium utensis commodum, sed ad utilitatem ejus, qui subjicitur, vel ad bonum commune.

Ex hac differentia dominii nata est distinctio servitutis, ut alia dicatur legalis, alia naturalis. Legalis est, qua unus alteri ita subjicitur, ac in ejus potestate constituitur, sicut res & possessio ipsius. Naturalis est, qua minus perfecti, minusque sapientes subjiciuntur perfectioribus, & sapientioribus, ut filii parentibus. Unde patet, quantum differat servitus legalis ab ea, qua communiter famuli, & ancillæ deserviunt: Nam ratione hujus famulatus; potius quam in personas, in ipsarum opera, & labores dominium habent illi, qui præsunt.

VI. Servitute ergo legali nullum hominem jure naturæ esse servum, evincitur: quia homo a natura ratione, & libertate præditus est. Unde Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 94. art. 5. ad 3. *Communis* (inquit) *omnium possessio dicitur esse de jure naturali: quia scilicet distinctio possessionum, & servitus non sunt inducta a natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ: & sic etiam in hoc lex naturæ non est mutata, nisi per additionem*. Et Sanct. Augustin. *lib.* 9. *De Civitate Dei cap.* 15. ait: *Rationalem factum ad imaginem suam voluit, nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori . . . . Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori . . . . Nomen itaque istud culpa meruit, non natura*. Quamvis autem servitus originem duxerit a primo peccato; primum tamen exemplum occasionem habuit ex ebrietate Noe. Unde Ambrosius, l. de Elia, & Jejunio, cap. 5. *Non esset* (inquit) *hodie servitus, si ebrietas non fuisset*. Quia nimirum, ante Noe ebrietatem nulla habetur facta mentio servitutis. Unde S. Augustin. citato *cap.* 15. ait: *Nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret*. Et Chrysost. Homil. 28. in Genes. *Ecce* (inquit) *fratrem eadem natum puerpera . . . . peccatum fecit servum, & ablata libertate, subjectionem illi injunxit, unde postea servitus sumpsit originem*: nimirum, ut a primo exemplo, non ut a prima causa.

VII. Quod vero servitus lato modo, nempe, sumpta pro subjectione alteri dirigenti, jure naturæ sit inter homines, probatum fuit, citato *Tom.* 1. *in* 2. *part. quæst.* 4. *dub.* 6. §. 2. Ubi ostendimus, etiam in statu Innocentiæ unum hominem, hoc modo, futurum fuisse dominum, & alterum subditum; ita exigente humana societate, & ordine sive ad invicem, sive ad commune bonum. Videantur propterea ibi dicta.

VIII. Dico secundo. Jure naturali non repugnat, aliquem hominem esse servum alterius legali, & proprie dicta servitute: Ideoque, & jure Gentium, & alio jure positivo hoc potuit introduci. Probatur primo, ex antiquo Testamento. Ubi legimus, apud Hebræos fuisse servos, tam ex Israelitis, quam ex Gentilibus, cum hoc tamen discrimine: quod isti jure hæreditario transmitterentur ad posteros, Levit. 15. vers. 44. *Servus, & ancilla sint vobis de nationibus . . . . & hæreditario jure transmittatis ad posteros, ac possidebitis in æternum*. Illi vero expleto sexennio deberent dimitti, Exodi 21. vers. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi. In septimo egredietur liber gratis*. Quod reperitur, *Deuter.* 15. *vers.* 12.

Ex novo etiam Testamento. Nam Apostoli non jubent, ut servi ad Christianam Religionem conversi, vel a dominis dimittantur, vel desinant eis obsequi: sed præscribunt, ut servi dominis etiam carnalibus, ac discolis diligenter pareant. Ita S. Petrus *Epist.* 1. *cap.* 2. *v.* 18. & Paulus, ad *Ephes.* 6. *v.* 5. Qui etiam, 1. *Cor.* 7. *v.* 20. jubet, unumquemque manere in ea vocatione in qua vocatus est: *Servus* (inquit) *vocatus es? Non sit tibi cura*.

Ex Patribus etiam. Nam nemo ex iis, usque ad duodecimum seculum, servitutem legalem damnavit, ut illicitam, etiam inter Christianos. Unde S. Paulinus Nolanus seipsum in servitutem dedit pro redimendo filio viduæ, ut in *Martyrolog. ad diem* 22. *Junii*. Imo Religiosi Ordinis S. Mariæ de Mercede etiam modo votum habent mahendi in captivitate Paganorum, si alia via caprivos Christianos redimere nequeant. Ecclesiæ quoque antiquam fuisse consuetudinem possidendi servos, ut mancipia, patet ex 12. *quæst.* 2. *Cap. Injustum*, & aliquot sequentibus. Modo tamen nulli Christiano Christianum emere mancipium permissum est.

IX. Probatur vero ratione, primo. Homo est dominus suæ naturalis libertatis; ergo potuit ei renuntiare, quomodo renuntiabant, qui seipsos vendebant. *Exod.* 21. *Levit.* 25. — Secundo. Servitus inducta est in favorem hominum; ne scilicet illi, qui jure belli possent occidi, interficerentur, sed vivi servarentur: unde servitus non a *Serviendo*, sed *Servando* est deducta, ut Augustin. *lib.* 9. *de Civit. Dei cap.* 15. ergo servitus non solum est licita, sed utilis, & præligenda morti. Nam ad majus, & præcipuum bonum conservandum, quale est vita naturalis, licet, imo justum est, profundere libertatem, quæ est minus bonum, juxta illud Hester 7. vers. 5. *Atque utinam in servos, & famulas venderemur, esset tolerabile malum*.

Demum tituli servitutis legalis omnes sunt justi. Primus enim est titulus belli, ut dicebamus. Secundus est nativitatis, cum quis nascitur ex matre serva. Tertius est justæ condemnationis. Quartus emptionis.

Sed dices primo. Servitus juri naturali contraria est, cum omnes homines nascantur liberi. Unde *l.* 1. *Instit. tit.* 3. & *l.* 1. *ff. tit.* 5. dicitur, servitutem esse constitutionem juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur.

X. Respondeo, servitutem esse quidem contrariam juri naturali, sumpto pro prima institutione naturæ humanæ; non vero sumpto pro lege prohibente. Nam servitus, ut dictum est, non est intrinsece mala; & ideo lege naturæ non potest esse prohibita. Et in hoc sensu etiam leges citatæ vocant eam contra naturam; non quasi fit jure naturali prohibita: sed partim, quia est contra inclinationem naturæ, secundum se consideratæ; partim quia naturæ primitus institutæ non convenit.

XI. Dices secundo. Paulus, 1. *Cor.* 1. *v. v.* 23. ait: *Nolite fieri servi hominum*. — Rursus: servitus repugnat legi Christianæ, dicente Christo, Matth. 17. vers. 25. *Liberi sunt filii*.

Respondeo, mentem Pauli non fuisse, ne Christiani hominibus serviant: sed, ne ita servi fiant hominum, ut servitio hominum postponant servitium Dei, cujus sanguine empti sunt. Unde præmittit: *Pretio empti estis* (deinde) *Nolite fieri servi hominum*. Ita S. Thom. in *cap.* 7. *ad Cor. Lect.* 4.

Christus autem eo loco pronuntiat Christianos liberos a servitute peccati, non a servitute legali: nec enim sua lege destruere voluit jus Gentium. Imo, *Matth.* 22. *v.* 21. suos discipulos ei subjecit, dum ait: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris*,

ri, Cæsari; eoisque suo exemplo præcessit, dum, *Matth. 17. v. 26.* censum solvit.

DUBIUM II.

An homo sit Dominus suæ vitæ, & membrorum.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. SUppono, hominem esse dominum proprii corporis quoad ea, quæ ex se ordinantur ad conservationem vitæ, uti est pulchritudo, vel color sui corporis. Item operationum earum, quæ libere exercentur per intellectum, & voluntatem, per sensus exteriores, & per vim motivam. Quoad operationes vero, quæ per sensus interiores, vel per appetitum sensitivum exercentur, aliquale dominium habet, sed non perfectum. Quoad eas vero, quæ per partem vegetativam fiunt, nullum habet dominium: tales enim operationes nullo modo rationis imperio subjiciuntur. Hoc igitur supposito.

II. Dico. Homo non est Dominus vitæ, vel membrorum, aut sanitatis sed tantum custos. Ita S. Thom. 2. *quæst. 64. art. 5. ad 3.* Constat primo, ex sacris litteris, quibus dominium vitæ, & mortis soli Deo reservatur. Deuter. 32. vers. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* 1. Reg. 2. v. 6. *Dominus mortificat, & vivificat.* Et Sap. 16. v. 13. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Cum ergo homo constituatur dominus eorum tantum, quæ ejus libero arbitrio subjiciuntur; cum huic non subjiciantur vita, membra, & sanitas, quæ sibi soli Deus reservavit, ideo eorum non est Dominus.

III. Confirmatur. Radix, & fundamentum omnis dominii in homine non potest cadere sub ejus dominio: sed vita est radix, ac fundamentum omnis dominii; ergo &c. Maj. probatur. Nam radix, & fundamentum dominii debet præsupponi ad omne dominum: unde quia gratia sanctificans est fundamentum, & radix omnis meriti, debet præsupponi ad meritum; & ideo non potest gratia cadere sub merito.

IV. Secundo probatur. Si vita esset sub dominio hominis, id illi competeret, vel jure naturali, vel divino, vel humano: sed nullo ex his ei competit; ergo &c. Min. probatur. Non jure naturali. Quia primus, & summus appetitus naturæ est conservare seipsam, & proinde vitam, juxta illud Dæmonis (sed tamen verum) Job 2. v. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Quare cum natura cuilibet rei tribuerit instrumenta, & media ad sui conservationem, nulli tamen contulit instrumenta ad sui internecionem. Non jure divino; Tum quia: ex dictis Deus sibi potestatem vitæ, & mortis reservavit. Tum quia *Genes. 1. & 9.* ubi factus est homo omnium dominus, etiam animalium, quæ ideo in suos usus mactare potest; nullum legitur ei traditum dominium in propriam vitam. Nec etiam jure humano. Ubi enim hoc jus humanum dans homini dominium in propriam vitam?

V. Tertio probatur. Dominus cujusque rei ille est, qui citra injuriam potest illa, ut libuerit, uti usque ad dispendium, & consumptionem: sed homo non potest sic propria vita uti, eam usque ad consumptionem prodigendo, quin faciat injuriam: Tum sibi; quia violat charitatem, & dilectionem sui ipsius, quæ illi post Deum præcipitur: Tum patriæ; quia homo non sibi, sed patriæ nascitur, cujus membrum efficitur: ideoque occidendo se, peccat contra justitiam legalem, & infert injuriam Communitati. Tum Deo; quia occidens se ipsum invadit jus divinum, cum Deus sibi soli jus supra vitam reservarit; & violat depositum, quod Deus illi tradidit custodiendum.

VI. Ex his sequitur secunda pars Asserti, nempe, quod homo sit tantum custos proprii corporis, & vitæ. Sicut enim fieri potest, ut unus habeat dominium in bona fortunæ, & alius solum usum, & usumfructum: ita intelligendum est, quod Deus retinuerit sibi dominium corporis nostri, membrorum, vitæ, & salutis; nobis vero concesserit usum, & custodiam. —— Quare conficitur quarta Asserti probatio, sic. Ea, quæ propria industria non acquirimus, sed aliena voluntate ad nos transferuntur, perveniunt ad nos cum eo jure, & facultate, quam nos habere voluit ille, cujus voluntate ad nos pervenerunt; ut patet in his, quæ hæreditate nobis obveniunt, in his enim tale jus habemus, quale voluit nos habere ille, qui testimento ea nobis legavit: sed vitam non acquirit homo propria industria, sed eam accipit ex voluntate Dei, qui homini solum concessit usum, sibi vero reservavit dominium, & proprietatem, ut ex Scripturis supra allatis apparet; ergo &c.

VII. Quapropter solus Deus de vita nostra, de corporibus nostris, eorumque integritate, & sanitate facere potest quod vult, & quod sibi bonum videtur, etiam non propter peccatum: potest enim si vult, agere dominum non agendo judicem, & sic etiam innocentem occidere: sicut & nos sæpe agimus, dum occidimus animalia irrationalia, quorum sumus domini. At Princeps, vel Respublica non potest de vita, aut membris Civium disponere pro libito: sed noxios quidem potest occidere, aut mutilare, tamquam Judex habens auctoritatem a Deo, non vero ut vitæ illorum dominus. Cæteros autem potest exponere periculo mortis in prælio, aut defensione arcium pro conservatione totius; ubi non exercetur dominium vitæ subditorum, sed dumtaxat custodia, & defensio totius Communitatis.

§. II.

Objectiones, & aliqua quæsita solvuntur.

VIII. HOminem in aliquo casu licite exercuisse dominium supra propriam vitam ostendunt primo, aliquibus exemplis Sanctorum, qui se ipsos occiderunt, & tamen in Scriptura, vel historia laudantur. Ut Sampson, qui eversione totius ædificii se ipsum oppressit (*Judicum 16. v. 29.*) S. Appollonia, ut legitur in ejus vita, se ipsam projecit in flammas. Razias 2. *Machab. 14.* elegit sibi mortem inferre, quam indigna pati ab hostibus. Eleazarus etiam, 1. *Machab. 6.* elephantem occidendo, cui Rex insidere existimabat, se ipsum occidit. Tandem Lucretia Romana, quæ dolore violatæ pudicitiæ seipsam interfecit, ab omnibus celebratur.

IX. De his egimus, *Tom. 1. in 1. 2. quæst. 3. de Act. hum. Mor. dub. 7. §. 3.* Ubi, *num. 44.* de Sampsone & S. Apollonia diximus, hoc fecisse ex latenti Spiritus Sancti impulsu. De Razia *num. 47. & 48.* eum a peccato vix posse excusari, ex S. August. & Thoma observavimus. Ex quorum etiam doctrina ostendimus *num. 46.* non licere mulieri se ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur. Quare ibi dicta huc tradenda sunt.

Ad factum Eleazari, dici potest, eum per accidens cooperatum fuisse ad propriam necem; directe vero intendisse necem Regis inimici, quem putabat elephanti insidere: & hoc pro gloria Dei, & salute patriæ. Certum autem est, licere militi in prælio pro patriæ (& maxime fidei) defensione, facinus aggredi, ex quo speretur salus patriæ, quamvis inde prævideat suam mortem secuturam. Quare multi non audent condemnare factum militis, qui sublata spe evadendi injecit ignem in pulverem tormentarium, ad inferendum hosti gravissimum damnum, quamvis cum manifesta sui internecione. Ita Valentia, *Tom. 1. disp. 5.* Soto, *de Justitia quæst. 3. art. 8.* & alii.

De Lucretia Romana agit S. Augustin. *lib. de Civit. Dei cap. 19.* ubi ostendit, illius mulieris facinus opus fortitudinis non fuisse, sed pusillanimitatis: *Quod ergo* (inquit) *seipsam, quoniam adulterum pertulit, etiam non adulterata occidit, non est patientia charitas, sed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissæ, esse non secum: & Romana mulier laudis avida nimium veritus est, ne putaretur: quod violenter est passa, cum viveret, libenter passa, si viveret. Unde ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putavit, quibus conscientiam demonstrare non potuit.* Ita acute S. Augustinus, videndus etiam, *cap. 20. 21.* &c. ubi erudite hinc materiam agit. Et *cap. 23.* ostendit, Catonem, seipsum occidendo exemplum infirmitatis potius quam fortitudinis reliquisse.

X. Quapropter cum S. Thom. 2. *quæst. 94. art. 5.* & Sancto Augustino citato concludendum est, occisionem sui proprio, ac privato spiritu factam, nullo bono fine cohonestari posse. Non quidem ad vindicandum, seu puniendum crimen. Tum quia: nemo est sui judex. Tum quia: occidendo se, sibi adimit pœnitentiæ spatium. Non ad vitandum peccatum: puta: si mulier se occidat, ne violentiam patiatur. Quia nec sunt facienda mala, ut veniant bona: nec malum certum, & gravius eligendum, ut vitetur incertum, & minus grave. Incertum enim est, quod mulier violata consentiat: quod si consensus desit, non solum peccato caret, sed duplicatur castitas ad coronam. Quod si, & dum violatur consentiat, minus peccatum committet, quam si seipsam occidit.

XI. Argues tamen, in casu, quo quis criminis reus a judice damnaretur ad sumendum venenum, vel ensem pectori suo infigendum; posset se occidere, vel venenum sumendo, vel ense se transfigendo. Tunc enim reus non ageret partes Judicis in se ipsum, sed executoris justæ sententiæ: constat autem, sæpius licere reo in se ipsum exequi sententiam Judicis; veluti dum ad metalla, ad triremes, aut ad exilium damnatur. Neque etiam tunc peccat contra jus patriæ, quæ talem Civem tamquam membrum putridum vult recidi. Neque contra seipsum: quia quælibet pars tenetur se ipsam tradere ob bonum totius, quod petit, ut rei puniantur. —— Neque contra Deum: quia Deus vult reos puniri.

XII. Hisce motivis putant aliqui, in dicto casu licere seipsum occidere. Sed contrarium tenendum censeo. Nam licet in dicto casu non foret injurius Reipublicæ; esset tamen injurius sibi, & peccaret contra charitatem, & dilectionem sui: dum in seipsum carnificis munere fungeretur, quod naturali instinctui etiam in beluis repugnat, esset injurius Deo, inique enim divinum jus in vitam hominis usurparet. Neque valet dicere, quod in casu se occideret publica potestate, quæ a Deo est, & justa Judicis sententia.

Nam esto Magistratui, aut Judici fuerit a Deo communicata potestas reos e medio tollendi; non tamen, ut eos ad sententiam mortis in se exequendam adigerent, aut reis, ut ut in se bonum Reipublicæ occiderent: quod, nec ullo in Sacris Literis exemplo, neque ulla Christianorum Tribunalium praxi comprobatum, in folis Neronianis seculis, & apud barbaras nationes factitatum invenies. —— Addo: quod cum justitia punitiva non sit ad se, sed ad alterum, reus non est idoneus, ut in seipsum illam exerceat; & consequenter neque ex hoc capite cohonestatur occisio sui. —— Alias autem afflictiones, & pœnas, quas, salva vita, subire jubetur, sicut potest voluntarie eligere in suarum peccatorum purgationem; ita potest eas in se assumere, ut a Judice infligitas. Cum enim sit suarum actionum Dominus, quæ vitam servant incolumem,

mem, potest in executionem justitiæ eas tradere, absque ullius præjudicio.

XIII. Hinc damnatus ad mortem non tenetur fugere, quamvis possit. Damnatus tamen, ut fame moriatur, censent aliqui, oblatum secreto panem recusare posse, quamvis necessarium ad vitæ sustentationem: quia hoc, ajunt, non est se occidere, sed, ob justitiæ bonum, a vita sustentanda cessare. Verum S. Thomas 2. 2. *qu. 69. art. 4. ad 2.* contrarium sentit, qui omnia hucusque dicta sua auctoritate confirmat, dicens: *Nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est, cum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat; quia non sumere esset seipsum occidere.*

XIV. Quæres: An in aliquo casu liceat vitam exponere?

Respondeo affirmative. Et quidem primo certum est, pro fide Christi, & gloria Dei aliquando esse vitam exponendam, & mortem potius obeundam, quam fidem negandam aut honoris Dei jacturam ferendam. De quo egimus late, *Superius Tract. de Fide* agentes de Confessione externa fidei, & de fide exterius non neganda.

XV. Secundo. Pro conservanda vita spirituali proximi licitum est, se exponere mortis periculo, imo tenetur si Pastor sit, quando ruina spiritualis ovium imminet, juxta illud Christi Jo: 11. ver. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* De quo in Tract. de fide actum est. Imo probabile est, pro vita corporali proximi licitum esse, periculo vitam exponere. Ita enim censet S. Thom. 2. 2. *qu. 26. art. 5. ad 3.* Ubi dicit, quod esto non teneatur homo proprium corpus exponere pro salute proximi, nisi in casu, quo ei incumbat, ejus saluti providere: *Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.* Eum sequuntur Victoria, Soto, Bannez &c. Qui docent, duobus in extrema fame constitutis, posse unum alteri panem cedere, quamvis mors ipsius certo secutura prævideatur: & posse in naufragio filium patri tabulam cedere, cum certo suæ submersionis periculo. Quia hoc non est occidere seipsum: sed non conservare vitam propter magnam honestatem virtutis, nempe, charitatis erga amicum, vel parentem. Neque hoc facit, ut dominus vitæ, sed ut a Deo potestatem habens præferendi opus virtutis suæ corporali vitæ: quomodo depositarius rem alienam apud se depositam alienare potest, si dominus ei permiserit.

XVI. Tertio. Potest femina pro conservanda corporis integritate, quamvis non esset proximum periculum consensus, mortem pati: in proximo vero periculo consensus, debet potius mortem subire, quam peccare.

XVII. Quarto. Amico in gravi necessitate, aut morbo licet assistere etiam cum periculo vitæ. Sic mulier viro peste laboranti, secundum præfatos Auctores, licite assistit. Quo in casu Sacramenta ministrare etiam cum certo vitæ periculo Pastores animarum non solum posse, sed etiam teneri, certum est.

XVIII. Quinto. Chartusianis (ut *Tom. 1. in 1. 2. qu. 6. de Lege humana, dub. 3. §. 3. nu. 24.* tertigimus) licitum est, pro bono abstinentiæ, & disciplinæ regularis, etiam in periculosissimis morbis, abstinere a carnibus: sicut cuique licitum est, abstinere a cibis delicatioribus, & pharmacis extraordinariis. Neque enim homo tenetur quærere media exquisita, & extraordinaria pro vita protrahenda; sed solum ordinaria ad vitam tuendam: pharmaca vero prædicta, & carnes respectu Carthusianorum sunt media extraordinaria.

Hinc licitum est desiderio majoris perfectionis ingredi Religionem arctam, quamvis periculum brevioris vitæ prævideatur. Si enim licet ob lucrum temporale belli, & navigationis periculis se tradere, cur non licebit ob lucrum spirituale? propterea S. Casimirus Rex ab Ecclesia laudatur, quod maluerit votum virginitatis servare, quam pro salvanda vita, juxta medicorum consilium, uxorem ducere. Eadem ratione multo minus obligatur novitius egredi a Religione, aut petere dispensationem a communibus rigoribus, etiam si inde morbi, vel brevioris vitæ pericula timeat. Nec Monialibus fas est, etiam instante mortis periculo, egredi e Monasterio, nisi in casibus a S. Pio V. expressis; vel nisi obtenta dispensatione. Et ratio horum est. Quia hoc non est, sibi mortem positive afferre, quod directe nunquam licet: sed ex amore virtutis non adhibere omnia media ad impediendam mortem. Hæc generaliter dicta sint: in casibus enim particularibus prudentia res pensanda est.

XIX. Tandem. Licitum esse militi vitam in prælio exponere periculo: quia hoc fit auctoritate publica, & pro bono publico, omnes docent. Ita sentiunt Sanchez, *lib. 6. in Decalog. cap. 15. nu. 39.* Soto, *lib. 6. de Justitia qu. 6. art. 4.* Suarez, *de Legibus lib. 5.* de Lugo, *disp. 10. sect. 1. a nu. 33.* Et alii.

DUBIUM III.

An homo sit Dominus suæ famæ, & honoris.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. FAma communiter definitur: *Multorum de re aliqua vere probata opinio.* Quæ definitio utrique famæ convenit, bonæ scilicet, & malæ, quæ dicitur infamia. Verum bona fama, de qua hic sermo est, a pluribus describitur, quod sit: *Bona existimatio, qua de aliquo habetur in vita, & moribus apud multos, & prudentes viros.* Honor autem definitur, quod sit: *Exhibitio reverentiæ in testimonium alicujus excellentiæ.* Unde honor dicit duo: Unum ex parte honorati, scilicet, excellentia, aut meritum; & hoc est materia honoris: aliud ex parte honorantis, scilicet, testificatio, seu reverentiæ exhibitio, & hoc est forma, seu formale honoris. Hoc supposito.

II. Dico. Homo est vere dominus suæ famæ, & honoris. Ita communius Theologi contra Cajetanum, & alios, Prob. primo. Eorum, quæ propria industria & labore acquitimus, domini sumus; sed bonam famam propria industria, labore, & meritis acquirimus; ergo &c. Maj. probatur. Ideo enim domini sumus divitiarum, quia eas propria industria, & labore comparamus: ab oppositio autem non sumus domini vitæ, quia eam non libere nobis comparamus, sed a Deo accipimus.

III. Secundo prob. Homo est dominus eorum, de quibus tamquam libero subjectis arbitrio potest disponere: atqui fama est bonum quoddam hominis, de quo libere potest disponere; ergo &c. Maj. indicatur a S. Thom. 2. 2. *qu. 64. art. 5. ad 3.* his verbis: *Homo constituitur dominus sui ipsius per liberum arbitrium: & ideo licite potest homo de seipso disponere, quantum ad ea, qui pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur, non tamen quantum ad ea, quæ non subjacent suo arbitrio.* Min. etiam indicatur ab eodem, 2. 2. *qu. 73. art. 5. ad 1.* ubi docet, quod homo *Sui arbitrii, ut detrimentum famæ pati, nisi hoc vergat in periculo aliorum.*

IV. Confirmatur. Si non possemus de fama disponere magis, quam de vita, nunquam possemus eam a nobis abjicere, ne quidem pro acquisitione vitæ æternæ, sicut non possumus nos, aut vita spoliare, aut membro mutilare pro acquirendo Regno Cælorum: atqui possumus abjicere famam pro acquirendo bono virtutis, modo nulli tertio fit necessaria. Quis enim culparet hominem privatum, aut etiam in dignitate constitutum qui sciens, famam, & honorem sibi impedimento esse ad vitam æternam, aut ad perfectionem, talia bona abjicere, ac sui contemptu abscondere studeret? Nonne laudantur Sancti, quod omne studium adhibuerint, ut essent contemptui, & propter Christum stulti haberentur? Sic de Sancto Ambrosio legitur, perditas mulieres in propriam domum advocasse, ne Mediolanensium Episcopus eligeretur: quod tamen exemplum caute sumendum est. *Epist. 43. modo 6.* & *Epist. 50. modo 30.* lapsus suos in adolescentia fatetur. Et Sanctus Augustinus in *lib. Confess.* sua occulta peccata propalavit.

V. Tertio probatur. Si quis alicui famam detraxit, tenetur illi famam restituere, non minus ac si illi pecuniam abriperet; ergo signum est, esse æque dominum famæ, ac divitiarum. —— Rursus: homo potest detractori famæ restitutionem condonare, non minus ac restitutionem pecuniæ; ergo non minus est dominus famæ, ac pecuniæ.

VI. Ne dicas. Pari ratione potest homo condonare abscissionem membri: & tamen non infertur, eum esse dominum suorum membrorum. Nam respondeo, abscissionem brachii, vel alterius membri proprie remitti non posse, sicut nec brachium abscissum potest restitui. Solum ergo damnum, quod quis ex abscissione brachii passus est, reparari potest; cujus cum homo sit dominus, potest illud libere condonare. At fama, & honor restitui potest, vel in numero, vel in specie: & ideo ejus restitutio directe condonari potest.

Cum ergo præcipui actus dominii, quoad famam, homini conveniant: primo enim proprio labore eam comparare potest: secundo, ablatam proprio nomine velut rem suam repetere potest pro libito: tertio, penes ipsum est, ejus restitutionem condonare; liquet, propriæ famæ hominem esse dominum.

§. II.

Objectiones solvuntur.

VII. OBjiciunt primo. In jure passim fama, & honor vocatur thesaurus inæstimabilis, & vitæ æquiparatur. Imo pretiosior vita reputatur, 1. *Machab. 9. ver. 10.* ubi Judas Machabæus: *Moriamur* (inquit) *in virtute.... & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Et Ecclesiastici 41. ver. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit, tibi, quam mille thesauri.... bona vita numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æternum.*

VIII. Respondeo, famam absolute sumptam non posse æquari vitæ: quia vita substantia hominis est, fama autem ejus solum inter bona extrinseca computatur. Dicuntur tamen æquiparari in hominum æstimatione; quia ex iis, quæ homini adjacent, maximum bonum apud Sapientes fama reputatur. —— Addo: quod licet fama solitarie accepta sit vita inferior, si tamen accipiatur simul cum vita, quatenus necessaria existimatur ad bene & honeste ducendum vitam, pluris æstimatur vita cum bona fama, quam vita sola, & utroque hoc modo exponendi sunt textus allati. Et hoc maxime, quando bona fama existimatur necessaria ad removendum scandalum, vel ad exemplum aliorum. Nam, ut docet S. Thom. Quodlib. 10. art. 13. *Fama non est necessaria propter seipsam, sed propter proximum ædificandum. Appetere ergo famam propter proximum, charitatis est: appetere vero propter seipsum, ad inanem gloriam pertinet.* Hinc honor, qui in vera coram Deo justitia positus est, is quidem æquandus imo præferendus est vitæ corporali; non tamen honor in æstimatione hujus seculi corrupti consistens: iste enim vitæ est postponendus. Unde

ad

ad tuendam vitam, cum moderamine inculpatæ tutelæ licet occidere invasorem; non tamen ad tuendam famam licet occidere detractorem, ut definivit Innoc. XI. damnans *prop.* 30. quæ oppositum asserebat.

Quidquid autem sit de pretio, & cura, in qua habenda propria fama: ex hoc tamen non sequitur, nos non habere dominium famæ nostræ. Nam & alia, quæ sub nostro habemus dominio, debemus curare, & non passim, & absque rationabili causa negligere.

IX. Objiciunt secundo S. Augustinum *lib. de bono viduit. c. 21.* relatum 11. *q.* 3. *c. Non sunt audiendi*. Ubi in reprehensionem eorum, qui propriam negligunt famam, subdit: *Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Quibus videtur indicare, dominium famæ non pene nos, sed penes Rempublicam esse. —— Item *lib. 1. de Civ. Dei c.* 20. ait, illo præcepto: *Non falsum dices testimonium*, prohiberi quemque adversus se falsum testari, sicuti adversus proximum: quemadmodum alio præcepto: *Non occides* una & proximi homicidium, & proprium prohibetur. Unde sic arguo. Hæc duo præcepta pari ratione prohibent tam testimonium adversus famam propriam, quam adversus alienam, & tam homicidium proprium, quam alienum: sed hoc secundo colligitur, hominem non esse dominum famæ alienæ, neque vitæ propriæ; ergo neque famæ propriæ.

X. Respondeo ex Soto, S. Augustinum in illo primo loco nobis non adversari. Nam si ex quo fama nostra aliis est necessaria, infertur, dominium ejus non esse pene nos, sed penes alios, puta Rempublicam; pariter cum ibi dicat Augustinum vitam nostram esse necessariam nobis, inferretur, vitæ dominium penes nos esse. —— Admonet ergo nos ibi S. D. ne simus negligentes propriæ famæ, qua possimus Reipublicæ servire, & sine legitima causa eam prodigamus: & maxime quando sine scandalo eam prodigere non possumus. Loquebatur enim de quibusdam mulieribus, quæ cum honeste, & caste viverent, parum curabant, tales coram aliis apparere, dicentes, sibi sufficere conscientiam suam; unde scandalum in populo generabant. Has ergo corrigens ait: *Nec audiendi sunt, sive viri sancti, sive feminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit, ut in malam veniant suspicionem . . . dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum, non imprudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes: cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis, qua casta est, displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in aliis misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra: & utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus* (2. Cor. 8. v. 21.) Providens (*inquit*) bona, non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus.

XI. Hisce S. Augustini verbis docemur, non quidem nos non esse dominos famæ nostræ; sed ita cum bona vita conformare debere conversationem externam nostram; ne malam suspicionem aliis ingeramus, & occasionem eis demus, vel blasphemandi viam Dei, vel imitandi, quod putant nos esse, & ita crudeles simus in ipsos. Verum quia contingit sæpe non ex culpa, vel causa nostra famam nostram denigari, propterea subjungit: *Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare: ubi pro existimatione nostra quidquid recte possumus fecerimus; si aliqui de nobis, vel mala fingendo, vel male credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientia solarium, planeque etiam gaudium, quod merces nostra magna est in Cælis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen, justeque viventibus.*

XII. Ad alterum S. Augustini textum dico, ex illo præcepto, *Non falsum dices*, solum colligi, falsum testimonium dicere contra seipsum mentiendo, aut sibi falso aliquod crimen imponendo, peccatum esse contra charitatem, qua quisque tenetur diligere seipsum: sicut eadem ratione peccatum est contra charitatem occidere seipsum. Non tamen esse peccatum, ex amore majoris virtutis proprias virtutes occultare, aut etiam propria crimina propalare: quod fecit Augustinus ipse in libris Confessionum: immo ex veteri Ecclesiæ disciplina quædam peccata occulta publica pœnitentia expiari cogebantur. Neque ex hoc, quod sine rationabili causa non liceat homini propriam famam prodigere, sequitur, quod non sit suæ famæ dominus: nam nec licet sine rationabili causa prodigere pecuniam, triticum, vinum, & alia hujusmodi, & tamen horum omnium habet homo dominium.

Neque intendit S. Augustinus, quod homo falsum dicens, & infamans indebite seipsum, peccet non solum contra dilectionem sui, sed etiam contra justitiam, eo modo, quo falsum dicens contra alium, vel occidens alium, aut etiam seipsum. Nam ideo in his casibus peccat contra justitiam, quia dum lædit famam, vel vitam alterius, & etiam propriam, irrogat injuriam proximo, qui est suæ famæ dominus: & ideo, quia vitæ dominus est: at dum propriam famam dispersit indebite peccat quidem contra dilectionem sui, sed nemini facit injuriam. Immo si unusquisque haberet jus, ne propria fama lædatur, & ut læsa reparetur, evidens est, eum esse propriæ famæ dominum, sicut est pecuniæ &c.

XIII. Objiciunt tertio. Nemo potest esse dominus rei, quam non possidet, cum possessio sit primum dominii fundamentum: sed fama non possidetur ab eo, de quo est, sed ab aliis, in quorum mentibus bona existimatio proximi veluti depositatur: ille autem, de quo forma habetur non est subjectum illius, sed objectum: objectum autem rei non est rei dominus, alias omnia, quæ videntur, essent domini potentiæ videntis; ergo &c.

Confirmatur. Nemo est dominus rei, quam non habet in sua potestate: sed homo non habet in sui potestate facere, ut alii bonam de ipso habeant existimationem, seu ut ipsum judicent laude dignum: cum sæpe contingat, optimos viros, sive ignorantia, sive malitia male audire; ergo &c.

XIV. Respondeo, nego absolute min. Fama enim non eodem modo possidetur, ac pecunia, habenda nimirum apud se; sed habendo illam in aliorum mente velut depositam, cum jure, ut sibi custodiatur. Et ratio est: quia homo sic famam comparat, & quasi ejus possessionem capit. Quare licet qui de aliquo bonam habent opinionem, eam in suis mentibus ab illo ingeneratam, quasi in deposito custodiant, ac proinde velut materialiter possideant; formaliter tamen possidetur ab eo, qui eam suis meritis acquisivit; & in illorum mentibus custodiendam depositi. Sicque esto ille, de quo fama est, sit materialiter objectum opinionis aliorum; formaliter tamen, & in morali Prudentum æstimatione est subjectum famam in aliorum mentibus possidens: unde ab illa vir bonæ famæ denominatur.

XV. Ad Confirm. dist. maj. Quam non habet in sui potestate, nec de facto, nec de jure, conc. maj. quam non habet de facto, habet tamen de jure, nego maj. Licet ergo fæpe non possit homo bonam sui existimationem in mentibus hominum imprimere: quia tamen potest ea agere, ex quibus nata est sequi bona fama; & propter quæ jus habet ad illam, ita ut eo jure spoliari non possit absque injustitia (nisi forte ob ignorantiam eorum, qui bona fide nesciunt, bonam famam illi esse debitam) ideo etsi de facto eam non acquirat, non desinit posse acquirere dominium super illam: sicut non desinit posse acquirere dominium alicujus rei, etsi propter malitiam hominum impediatur, ne de facto dominium illius acquirat.

DUBIUM IV.

An penes Duos possit esse Dominium in solidum in eamdem rem.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. DE Dominio perfecto, pleno, ejusdem rationis procedit quæstio: nec enim dubium est, quin in eamdem rem unus habeat dominium unius rationis, puta directum, & alius alterius rationis, puta utile. —— Secundo. De dominio in solidum quæstio est, nempe de dominio, quod cuique seorsim totaliter convenit, & adæquate: non autem de eo, quod convenit pluribus, cuique tamen partialiter. —— Tertio. Loquimur pro eodem tempore, vel instanti, non autem successive, quemadmodum in veteri lege plures uxores habebant jus in corpus unius mariti, & ad usum illius, non pro eodem tempore, sed pro diverso.

II. Communis doctrina Juristarum est, non posse penes duos simul ejusdem rei dominium in solidum consistere. Sic *leg. 5. Si ut certo, §. de duobus, ff. Commodati vel contra.* Ubi quæsito, si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum; utrum unusquisque eorum in solidum, an pro parte teneatur: respondetur: *Duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse.*

III. Neque dicas, quod in casu, quo omnes Personæ divinæ unam naturam assumerent, tunc penes omnes esset dominium in solidum in illam.

Nam respondeo, nego ant. Quia cum illius dominii fundamentum esset voluntas divina, quæ in tribus divinis personis una est; una etiam, & indivisa esset in illis ratio dominii, non vero in qualibet seorsim adæquate, & in solidum: sicut de facto tres divinæ Personæ ob voluntatis unitatem unus Dominus sunt, non tres Domini.

IV. Major difficultas est circa instans venditionis, aut donationis; in quo venditor, vel donator transfert dominium in emptorem, vel donatarium, an in illo saltem instanti, in quo liber alteri donatur, non solum donatarius, qui librum acceptat, & in illo instanti dominium primo habere supponitur; verum etiam ipse donator sit vere, & simpliciter libri dominus: & idem dic de venditore, & emptore. In quo licet affirmative sentiat de Lugo, negative tamen cum communiori tenendum censeo.

§. II.

Resolvitur Dubium.

V. DICO. Non possunt duo habere simul in eamdem rem dominium in solidum, & adæquatum. Probatur ex natura dominii, quæ videtur (si in solidum sit) esse essentialiter exclusiva alterius dominii circa eamdem rem. Nam Dominium est libera facultas disponendi de re, tamquam sua, licite non impedibilis ab alio: at hoc ipso, quod ejusdem rei essent plures domini, in solidum posset unus alterum impedire in libero usu, & dispositione rei: posset enim condominus ejusdem libri velle uti meo libro eo tempore, quo ego volo uti illo: quo posito; me licite impediret a libero usu illius;

illius; ergo &c. Maj. vero, nempe, quod inimpedibilitas in omni usu sit de essentia dominii perfecti, & in solidum talis, probatur. Nam jus in quantum favet uni, in tantum gravat alios; sic, ut juri activo unius correspondeat debitum legale in aliis ejusmodi jus non impediendi: sed dominium plenum, & in solidum, nullo modo vinculatum, est jus activum ad omnem usum, & dispositionem; ergo circa omnem usum, & dispositionem illius rei, puta libri, gravat omnes alios, ponendo in eis debitum legale, ipsum in nullo libri usu impediendi.

VI. Tum sic. Si donator sit dominus perfectus libri in eo instanti, quo librum donat, jam donatarius erit gravatus, & habebit debitum legale, ne donatorem in ullo usu libri impediat; ergo donatarius pro illo instanti non erit dominus libri. Ex quo sequuntur duo implicatoria: nempe, quod donatarius in eo instanti esset dominus libri, & non esset; esset gravatus, & non esset, habens jus activum in librum, ne in usu illius ab alio impediatur, & simul debitum legale passivum, ne ab usu illius alterum impediat.

VII. Alia quoque venirent absurda. Primo. Quia servus in instanti manumissionis esset simul servus, & liber, ligatus, & solutus: liber esset, quia tunc accipit libertatem; servus, quia dominus in illo instanti dat libertatem, & consequenter secundum. Adversarios in illo instanti est dominus.

Secundo. Si donator in instanti completivo donationis habet dominium rei donatæ, etiam solemniter professus in aliqua Religione, in instanti completivo professionis, quo per votum pauperatis abdicat dominium omnium antea possessorum, adhuc erit dominus illorum, cum sit utriusque par ratio: sed hoc est falsum, quia illud est primum instans religiosæ pauperatis, quæ cum dominio stare nequit, ergo &c.

Tertio. Sequeretur, quod qui rem suam destrueret, puta, librum combureret, esset dominus libri in instanti completivo combustionis; quia illa combustio est actus dominii, & libera dispositio libri: sed hoc est absurdum, quia liber tunc amplius non est, rerum autem quæ non sunt non datur dominium; ergo &c.

VIII. Tandem probatur, destruendo Adversariorum fundamentum, ideo donator in instanti donationis esset dominus rei donatæ, quia in eo instanti, quo donat, debet habere quod donat, cum nemo det, quod non habet: sed hoc manifeste instatur; ergo &c. Min. probatur. Sicut nemo dat, nisi quod habet, ita nemo perdit, nisi quod habet, nemo occiditur, nisi qui vivit; ergo ne qui perdit pecunias, in instanti perditionis illas habet. & homo, qui occiditur, in instanti occisionis adhuc vivit? Nequaquam. Aliquin cum instans completivum perditionis, & occisionis, sit instans, in quo primo res est perdita, & homo occisus; res esset simul perdita, & simul habita, homo simul occisus, & simul vivens. —— Rursus: non expellitur, nisi quod est; ergo ne in instanti, quo lux expellit tenebras, tenebræ sunt? In instanti, quo gratia expellit peccatum, peccatum est? Ergo in eodem instanti simul erunt lux, & tenebræ, gratia & peccatum? Nemo, puto, hoc dicet.

§. III.

Solvuntur contraria rationes.

IX. PRimo objicies. Qui de re sua perfecte disponit, dominus illius est; sed in instanti donationis donator de re sua perfecte disponit; ergo in eodem instanti dominus illius est.

Confirmatur. In instanti donationis libri dominium ejus in solidum est penes donatorem, & donatarium. Penes donatorem: quia donatio est usus dominii in solidum, utpote transferens illud in donatarium, alias donaret rem jam non suam. Penes donatarium autem: quia hic in instanti donationis acceptat dominium in solidum libri donati, quæ acceptatio est ultimum complementum dominii. Impossibile autem est, quod donatio non sortiatur effectum suum in eo instanti, in quo ponitur ultimum ejus complementum; ergo in instanti donationis dominium est penes duos, nempe donatorem, & donatarium.

X. Respondeo, dist. maj. Disponit, dispositione conservativa dominii, ut dominus illius est, conc. maj. Dispositione abdicativa, & destructiva dominii, nego maj. Talis autem est dispositio, qui donator disponit de re sua in instanti donationis; dispositio scilicet abdicativa dominii, & destructiva illius. Unde esto donator in tempore immediate antecedente fuerit dominus rei, quam donat; in instanti tamen donationis desinit esse dominus, & primo incipit esse dominus donatarius. Et ratio est, a priori. Quia dominium fundatur in voluntate habendi rem, ut suum: sed in donante pro instanti donationis potius datur nolitio habendi rem, quam donat, ut suam, & e contra in donatario datur voluntas absoluta illam habendi ut suam; ergo pro donationis instanti dominium rei donatæ est quidem penes donatarium, non tamen penes donantem, nisi forte extrinsece.

I. Sed dices. Actus, & exercitium libertatis non destruit potentiam, aut libertatem; ergo neque exercitium dominii, quod est in instanti donationis, destruit dominium: quia exercitium potentiæ non destruit potentiam.

Respondeo, dist. ant. Exercitium, quando non includit prædicatum intrinsece repugnans potentiæ, & abdicativum illius, conc. ant. Secus, nego ant. Libertas ergo non destruitur per exercitium libertatis; quia dum quis libere se exercet in uno, non amittit indifferentiam ad alterum: dum enim libere sedeo, non amitto indifferentiam ad ambulandum; quia sessio voluntaria, & libera licet includat prædicatum repugnans ambulationi, non tamen potentiæ ad ambulandum. Sic pari ratione exercitium dominii, quod non includit abdicationem rei, ejusque translationem in alterum, non destruit dominium; si vero includit, destruit, quia translatio dominii in alterum essentialiter repugnat cum habitione rei, & juris, quæ includitur in dominio. Cum autem donatio, & venditio rei essentialiter dicat abdicationem rei donatæ, aut venditæ; nequit stare actualis donatio, aut venditio cum dominio.

XII. Ad Confirm. respondeo, nego ant. Nam in instanti donationis res, quæ donatur, non est donantis, nisi ad summum extrinsece. Nam licet donatio sit exercitium dominii; est exercitium destructivum dominii, sicut occisio est destructiva vitæ. Unde sicut in instanti, quo quis occidit seipsum, & in quo verificatur, quod est occisus; non verificatur, quod sit, & vivat, sed quod immediate ante fuerit vivus: sic in instanti, in quo verificatur, rem esse donatam, non verificatur, eam esse donantis; sed immediate ante fuisse. —— Ad id, quod additur, nempe, quod sequeretur; dominum donate rem jam non suam: dico, dominum donando, facere ut res, quæ erat sua, jam non sit sua; seu donare rem, quæ esset adhuc sua, si eam vellet habere, ut suam: cæterum cum instanti donationis eam nolit habere ut suam, jam de sua facta est non sua.

XIII. Ex his respondetur ad aliam instantiam, quæ posset hoc modo fieri, nempe. Nemo dat quod non habet; ergo in instanti, quo quis rem alteri dat, illam habet.

Nam respondeo, maj. esse falsam, nisi ly *habet* accipiatur (ut ajunt Dialectici) cum distractione ad tempus immediate præteritum: ut si dicatur nemo occiditur, qui non vivit: nemo perdit pecunias, quas non habet. Ex quo non sequitur; ergo in instanti occisionis, & mortis homo vivit, & homo in instanti deperditionis habet pecunias. Sicut ergo nemo spoliatur veste, quam non habet in sensu oppositio spoliationis, alias esset simul spoliatus, & vestitus: ita in casu &c.

XIV. Secundo objicies. Causa existit pro instanti, in quo ponit effectum: sed causa donationis est dominium existens in donante; ergo hoc existit in instanti donationis.

Confirmatur. Causa, dum producit effectum, concipitur pro priori naturæ proxime potens illum producere; ergo etiam donator in instanti quo donat, pro priori naturæ concipitur proxime potens donare: sed proxima potentia donandi est dominium; ergo in instanti donationis pro priori naturæ concipitur habere dominium.

XV. Respondeo, dist. maj. Causa physica, transeat maj. Causa moralis, nego maj. & dist. min. Dominium est causa moralis, conc. min. Physica, nego min. Dixi transeat maj. Quia etiam causa physica, præsertim causans per motum successivum in instanti, quo producit effectum, intrinsece non est, sed solum extrinsece, seu immediate antea fuit. Sic Sacramentum causat physice gratiam per ultimam prolationem verborum; quæ tamen prolatio in instanti productionis gratiæ non est, sed immediate antea fuit. Sic etiam mixtum est effectus mixtionis quatuor elementorum; & tamen quatuor elementa in instanti completivo mixtionis, amplius non sunt, sed immediatæ ante fuerunt.

Verum hoc omisso, discrimen inter causam physicam, & moralem hoc est: quod causa physica causat per realem influxum, & ideo debet esse pro instanti, in quo effectus primo est. At causa moralis causat per valorem, qui etiam a causa jam præterita provenire potest. Sic donatio, causa mortis, sortitur suum effectum in instanti mortis, in quo nec existit donator, nec donatio. Et ita donatio in esse physico donationis procedere debet a voluntate realiter existente: in esse vero donationis validæ, & moraliter efficacis, a dominio, & voluntate, quæ fuit.

XVI. Ad Confirm. similiter dico, causam realiter coexistentem effectui debere supponi pro priori naturæ realiter, & physice potentem producere effectum. At causa solum moraliter coexistens effectui, sufficit, ut pro priori naturæ ad effectum, censeatur potens moraliter ipsum producere, & consequenter solum moraliter existere.

XVII. Tertio objicies. Dominium in solidum cujuscumque creaturæ potest stare, immo essentialiter connectitur cum dominio Dei circa eamdem rem; ergo etiam stare potest cum dominio alterius creaturæ: quia dominium Dei multo magis plenum est, & in solidum; quum dominium alterius creaturæ.

XVIII. Respondeo, nego consen. Nam dominium creaturæ est dominium unius, & ejusdem rationis, & ordinis. Sicut autem duæ causæ ejusdem rationis, & ordinis non possunt esse causæ totales, & adæquare ejusdem effectus: ita duo homines ejusdem rationis, & ordinis, nequeunt esse in solidum domini ejusdem rei. At dominium Dei, & creaturæ sunt dominia diversæ rationis, & ordinis: nam dominium Dei non est dominium utilitatis respectu sui, sicut est dominium creaturæ, sed est dominium excellentiæ. Non repugnat autem, eamdem rem habere duos dominos in solidum, unum excellentiæ, alterum utilitatis, & consequenter diversæ rationis: sicut neque repugnat, eumdem effectum duas causas totales habere, diversi tamen ordinis, & rationis, Deum nempe, & creaturam.

TRA-